



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita, & mors Abbatis Pemenis solitarij. Capvt CLXVII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

puerulum astantem, & dicentem mihi. Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cum ad communionem pergo, & in confectorio hæc eadem mihi dicentē; & vel vna hora non finit me quiescere. Ideo itaq; , pater abire volo, vt pro puerulo moriar. Frustra enim, & sine vlla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exiit. Et cum sic indutus pergeret Diospolim. tentus est, & sequenti die decollatus.

1 *Vide habitum sanctum, quando de nouo quis efficitur Monachus.*

2 *Ecce bonorum Monachorum exercitia.*

Vita, & mors Abbatis Pemenis solitarij.

CAPVT CLXVII.

DICEBAT Abbas Agathonicus dux eo nobis castelli sancti patris nostri Sabæ. Descendi die quadam in Ruba, vt pergerem ad Abbatem Pemenem solitarium. Cum ego reperissem eum, & dixissem illi cogitationes meas serò dimisit me in vnam speluncam. Erat autem hyems. Fuit que nocte illa frigus maximum, & nimia vi algoris obrigui. Veniens ergo ad me manè senior, ait mihi: Quid est, fili? Aio ad illum. Ignosce mihi, pater, duram pertuli noctē ex frigore. Dixit autem mihi: Ego, fili, frigus nullum sensi. Miratus sum valde hoc audiens. Erat quippe nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodo tantam frigoris asperitatem non sensisti. Dixit autem mihi: Venit leo, & obdormiuit iuxta me, & ipse me calefecit. Veruntamen dicitur tibi, frater, quoniam à feris deuorandus sum. Aio ad illum: Cur quæso? Et dixit mihi: In provincia nostra cum essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ouium eram, & contempsi transirem
pere

pereginum, & à canibus comestus est; cùm enim illum saluare possem, non feci, sed dimisi eum, & à canibus discerptus est, scioque, quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est. Post. tres enim annos à bestijs, vt dixerat, & ipse discerptus est.

† Erat quippe nudus. Multi siquidem ex sanctis nuditate pro vestimento vsi sunt.

Dicta Abbatis Alexandri senis.

CAPVT CLXVIII.

DICEBAT Abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta, & tribulationes persequantur; nos autem ciuitates, & requiem sequimur. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris virtutes istæ vigeant, ¹ nuditas, & humilitas; in nobis autem auaritia, & superbia regnat. Ait rursus: Patres nostri nunquam facies suas lauabant; nos autem lauachra publica, balneaq; frequentamus. Dixit iterum senex: Heu mihi, filij, quia conuersationem verè Angelicam destruximus. Ait autem ad illum Abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincēti, quia infirmi sumus? Crede mihi, fili, Olympici corpore, & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est. Dixit iterum: Multum comedere, & bibere, & benè vestiri possumus, abstinere autem, & humiliari non valemus. Rursus dixit: Væ tibi Alexander; væ tibi; quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur.

† Vide virtutes, quæ antiquos monachos commendabant.

Vita Senis cuiusdam capti oculis in Monasterio Abbatis Sisci.

GG 4 CAB.